

COLLEGIUM REGIUM MEDICORUM

EDINBURGENSE

LECTORI S.

AD Medicinam rite faciendam, accurata Materię Medicę notitia, rectaque Medicamentorum præparatio et compositio, omnium consensu, maxime sunt necessaria. Medicamenta bona recte adhibita, salutem promittunt; et mala, vel male composita, funesta multa adferunt, vel nil Ægrotantibus proficiunt. Cum tantum Medicamina possint, in iis rite disponendis et conficiendis, opus medicum præcipue versari debet. Hinc, Ars Pharmaceutica ubique adeo ab ingeniosissimis Medicis exulta est, ut singulæ fere Civitates proprias suas habuerint Pharmacopœias. Nec hac in re defuit Collegium Regium Medicorum Edinburgense, dum adhuc in incunabulis esset, emisso ad id opusculo satis idoneo.

EA tamen est Pharmaceutices, ut aliarum rerum sors et conditio, ut temporis vicissitudines haud effugiat. Postulant id tum ingens Pharmacorum varietas, tum artis incrementa et progressus. Hinc fit, ut in Pharmacopœia Edinensi plurima desiderentur, quæ usus deinceps introduxit; et licet ea omnibus fere contractior sit, non pauca inveniantur dudum obsoleta, ut jam fere norma Pharmacopœis esse desierit. Ne igitur ob inscitiam Pharmacopœorum, Ægrotantium vita in periculo sit, aut Medicorum spes fallatur, Collegium nostrum, Reipublicæ commodo suæque dignitati prospiciens, Pharmacopœiam hanc denuo limatam auctamque, quæ, omnibus in hac Urbe * Pharmacopœis in Medicamentis componendis norma sit et regula, in lucem publicum emitti voluit, gratum opus, et Ægrotis, et Medentibus.

Ut hi nostri conatus in Reipublicæ commodum, in Ægrorum salutem, et in Medicinæ incrementum, feliciter cedant, junctis votis, ardentè optamus.

Datum EDINBURGI, ex Ædibus Collegii
Medici, Prid. Cal. Decemb. Anno
a Christo Nato, M,DCC,XXI.

* Act of the Parliament of Scotland, 16th June 1685

DE nona hac Pharmacopœiæ nostræ editione monuisse sufficiat, eam quâ potuerimus curâ emendatam prodire. Antecessorum nostrorum vestigia plerumque in re medicamentariâ persecuti, non ita tamen iis institimus, quin celebriores aliarum Gentium Pharmacopœias præ oculis habuerimus; ne vel aliorum labores spernere, vel nostris nimium confidere videremur.

NOVA quædam, vel propriâ experientiâ vel gravissimis clarorum Virorum testimoniis, nobis commendata, in numerum Medicamentorum accepimus. Nonnulla, majorum credulitate, forsitan et superstitione, invecta, resecurimus. Si quid vero hujusmodi adhuc supersit, id posteris delendum reliquimus; præstat enim, ut nobis videtur, copiâ quam penuriâ premi.

MULTORUM Medicamentorum Nomina antiqua et vulgaria, monentibus Botanice et Chemiâ nuper adeo feliciter cultis, cum aliis commutavimus; quo facilius et promptius ex ipsis Nominibus vera eorum natura et compositio innotescant.

IN hoc opere, consilium nobis et quasi lex fuit, Animalia et Vegetabilia, quæ simplicia Medica-

menta præbent, iis solis Nominibus indicare, quibus appellantur ab optimis Historiæ Naturalis et Botanicæ Scriptoribus : quâ in re scripta summi LINNÆI nobis maximæ fuerunt auctoritatis, et ubicunque aliis Scriptoribus fidere oportebat, Auctores sedulò indicavimus.

GRAVIOR autem labor nos haud parum moratus est in describendis variis præparatis et compositis quæ inter Medicamenta recensentur. Hæc omnia propositum fuit iis solis Nominibus definire quæ jam apud optimos hujus seculi Chemicos invaluerunt. Horum sermo novus et quasi proprius, etsi nondum omnibus suis numeris et partibus absolutus, tamen ad scientiæ usus videtur accommodatissimus ; et adeo necessarius, ut non dubitemus eum, ut jam a junioribus receptus est, ita ab omnibus Medicis et Medicamentariis brevè receptum iri. Horum sermo in re medicamentariâ olim receptus, non alius erat quàm vetus Chemicus : igitur, ut nobis videtur, æquum est eum Medicinâ exulare, qui jam in Chemiâ prorsus obsolevit.

METUENTES vero ne quorundam Medicamentorum tituli nimis verbosi et incommodi forent, si omnes vel minutissimas partes denotarent quæ iis inessent, contenti sumus per titulos indicasse

præcipuas tantum eorum partes, unde, ut nobis videtur, vires et usus compositionum pendent. Ob eandem causam, simplicia quædam, in frequentissimo usu, et omnibus bene nota, præcipimus vulgaribus ipsorum Nominibus; cujusmodi exempla sunt Opium, Manna, Moschus, Castoreum: sat esse rati indicasse, in catalogo Materiae Medicæ, Animalia et Vegetabilia unde obtinentur.

NOMINA quædam ad scientiam Chemicam vix pertinentia, at in re tamen medicamentariâ diu recepta, *Tincturam* nempe et *Spiritum*, nolimus mutare. Hoc indicamus compositionem Alcoholis, per destillationem, cum variis substantiis, oleis præsertim, volatilibus; illâ, ejusdem compositionem cum variis substantiis, aromaticis præsertim et resinosis, quæ per infusionem in ipso solvuntur.—Quæ multa vero, tum in Nominibus, tum in rebus ipsis, adhuc novanda sint, quum tot tantaque incrementa Medicina et Chymia his temporibus capiant, scientiæ progressus optime docebunt.

Datum ex Ædibus Collegii, x^{mo} Calendas Maias, M,DCCC,III.

PHARMACOPOEIAM nostram nuper editam,
cum iterum prelo subjicere voluerunt Bibliopolæ,
eam quā potuerimus curā denuo retractavimus,
et mendas quasdam, quæ forte irrepserant, lu-
bentes correximus.

Datum Edinburgi, ex Ædibus Collegii,
vii Idus Novembres, M,DCCC,IV.